

explodendam esse hanc dubitationem, quia non licet contra conscientiam agere.

Resp. 2^o. Si grave dubium de nuptiarum veritate eas præcesserit, dubitans reddere debitum poterit, non verò petere: reddere quidem, qui enim bonâ fide rem possidet, eâ propter malam alterius fidem non spoliandus est: atqui conjux qui nullam habet de Matrimonii veritate dubitationem, bonâ fide rem suam, id est, alterius conjugis corpus, possidet; ergo, &c. Præterea sic Lucius III Papa statuit: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, et qui sibi nupsit debitum non denegat postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* (cap. 2. de secundis nuptiis.) Ex ultimis autem hujus capituli verbis liquet non posse dubitantem debitum petere; alioqui fornicationis periculo sese exponeret, dum illud declinat ab eadem petitione abstinendo; partem igitur sequi debet tutiorem.

Si verò uterque conjux Matrimonium ineundo an validum esset graviter dubitaverit, neuter debitum exigere debet aut reddere. Uterque enim prudenter dubitat an corpus alterius sit suum. Præterea in casu præcedenti ideò licitum est reddere debitum conjugi postulanti, quia iste, ut potè bonæ fidei possessor, jure suo non spoliandus est: atqui cum ambo pariter dubitarent de Matrimonii veritate dum illud inierunt, neuter est bonæ fidei possessor; neuter ergo debitum reddere potest, donec adhibitâ, quæ par est, diligentia, suum exuerit dubium.

Resp. 3^o. Si Matrimonium consummatum subsecuta fuerit gravis dubitatio, & post seriam inquisitionem perseveret, inter se dissident Theologi. Alii cum Pontas (ad verbum *devoir*, cas. 17.) contendunt tunc abjiciendum esse dubium tanquam inane, & debitum exigi posse. Alii verò existimant eandem esse dubii verè permanentis ac nascentis rationem, Unde, juxta ipsos, debitum

reddi quidem debet conjugi qui non dubitat, at illud ab eo exigere non licet. Quæ opinio & tutior videtur & probabilior.

1^o. Enim nemini licet manifesto fornicationis discrimini sese exponere: atqui debitum exigendo, in illud periculum sese conjiceret, qui post seriam investigationem dubitare pergit, an, v. g. prima uxor sua verè mortua sit. Graviter enim incertus est an sua sit ea ad quam accedit, siquidem totum quod instituit examen, ipsius dubium nulla ex parte imminuit.

2^o. Juxta D. Pontas & alios, qui adhibitâ sufficienti inquisitione, rei veritatem assequi non potuit, ideò suam dubitationem, ut vanam, abjicere potest, quia eum ab omni peccato excusat ignorantia invincibilis: atqui hæc ratio, inquit D. Collet, nulla est, & in ambiguo ludit. Qui enim, rebus maturè excussis, dubitare pergit, veritatem ignorat quidem, cum nesciat, v. g. an reipsâ prior conjux obierit; sed eum invictè non latet peccandi periculum cui sese objicit; graves quippè ob rationes incertus est annon vivat prima uxor.

Hinc colliges, si in eodem dubio versentur ambo conjuges, neutri licitum esse debitum reddere.

P A R S II.

De Sacramento Matrimonii.

DE præfenti argumento quatuor erunt capita: in 1^o. utrum admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum expendemus; in 2^o. de illius materia & forma; in 3^o. de Mi-

nistro; in 4^o. de ipsius effectibus disputabitur. Priusquam verò eas quæstiones aggrediamur, quid sit Matrimonii Sacramentum definiendum est. Matrimonium est *viri & mulieris conjunctio, individuan vitæ consuetudinem continens*; (*Institut. lib. I. tit. 9. sect. 1.*) idcirco Sacramentum nuptiis consecrandis destinatum, merito definitur à Catechismo Lugdunensi an. 1767, multisque aliis: *Sacramentum à Christo Domino institutum ad sanctificandam viri & mulieris legitimam conjunctionem.*

C A P U T P R I M U M.

Verum admittendum sit verum & propriè dictum Matrimonii Sacramentum.

NULLUM esse in nova lege Matrimonii Sacramentum à Christo institutum affirmant Lutherus, (*Lib. de captivitat.*) & Calvinus. (*Lib. 4. instit. cap. 19. n. 34.*) Contra quos sit

P R O P O S I T I O.

Verum proprièque dictum in nova lege Matrimonii Sacramentum agnoscendum est.

ARG. I. *Ex Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ consensione.*

Ecclesiam tum Latinam, tum Græcam, ac proinde universam Ecclesiam, errasse absque impietate dici non potest: atqui ante exortas Lutheri & Calvinii hæreses, Ecclesia tum Latina, tum Græca verum agnovit Matrimonii Sacramentum.

Prob. prima pars, quæ Ecclesiam Latinam spectat,

spectat. In Concilio Lateranensi III an. 1179, cui interfuerunt Episcopi 302, vetitum est *ne pro benedictionibus nubentium, sive aliis Sacramentis conferendis, aliquid pretii exigatur.*) Tom. 10. Concil. pag. 1512.) Lucius III Summus Pontifex qui obiit anno 1185, sic declarat: *Qui de Baptismate, Matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm sacro-sancta Romana Ecclesia prædicat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* (*Decretal. pag. 1673.*) Concilium Constantiense quod ab anno 1414 ad annum 1418 habitum est, & cui adfuere trecenti & amplius Episcopi, definivit (*Sess. 15.*) septem esse Sacramenta, iisque proinde Matrimonii Sacramentum annumerari.

Martinus V, in constitutione quæ ad calcem hujus Synodi exstat, præcipit ut qui in hæresis suspensionem venerunt, interrogentur *an credant quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel solemnisationis Matrimonii, peccet mortaliter.* (*Tom. 12. Concil. pag. 269.*)

Denique Concilium Tridentinum sic pronuntiat: *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* (*Sess. 24. de Matrim. can. 1.*) Ergo, cum Matrimonii Sacramentum impugnare cœperunt Lutherus & Calvinus, ipsius fides in Ecclesia Latina vigeat.

Prob. secunda pars quæ Ecclesiam Græcam spectat. 1^o. Simeon Theſſalonicensis doctrinæ famâ nulli ætatis suæ secundus, & qui paulò ante Concilium Florentinum vixit, sic habet: *Septem sunt Sacramenta quæ ab eodem Spiritu Sancto vim operandi habent, nimirum Baptismus Matrimonium.* (*Lib. de septem Sacramentis, cap. 33.*)

Vide Arcudium (*Lib. I. de Bapt. cap. 2.*) Quis verò crediderit Simeonem Sacramentis quæ per Spiritum Sanctum operantur, nuptiarum Sacramentum fuisse annumeratum, nisi communis hæc fides apud Græcos viguisset? Quis in animum sibi inducat fore ut ceteri errorem dissimulassent, sive Episcopi, sive sacerdotes, si nullum agnovissent Matrimonii Sacramentum?

2°. Vix solum erat Concilium Florentinum, cùm Eugenius IV in lucem edidit decretum pro instructione Armenorum, in quo Matrimonii Sacramentum inter vera legis novæ Sacramenta constituit: atqui tamen nullus Græcorum Præfulum qui Florentiæ tunc aderant reclamavit; licet verò paulò post multa contra Florentinam Synodum Romanamque Ecclesiam scripserint, nihilominus de Sacramento Matrimonii omnino siluere: quorsum verò? nisi quia in admittendo hoc Sacramento cum Latinis concordēs erant, & fidem Ecclesiæ in Eugenio decreto agnoscebant.

3°. Cùm Wittembergenses Theologi Lutherani, ut Orientalem Ecclesiam suas in partes adducerent, ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum Augustanam Confessionem misissent, omnemque operam adhibuissent ut ipsius suffragium extorquerent, nedùm emendicatam hanc approbationem obtinuerint, gravem ejus censuram experti sunt. Sic enim à Jeremia responsum est: *Orthodoxi in Ecclesia Catholica Christiani Sacramenta numero septem admittunt; Baptismum scilicet, ... & Matrimonium.* (*Apud Arcudium, ubi suprà.*)

4°. Idem dogma variis in Synodis Græci confirmârunt, maximè autem in Constantinopolitana an. 1642, ubi sic pronuntiatum fuit: *Negat* (Cyrillus Leucaricus) *Ecclesiæ Sacramenta, Sacerdotium, ... honorabiles nuptias: quæ omnia & sacra & divinam gratiam conferentia, antiqua nobis Traditio reliquit.* (*Tom. II. Concil. Hard. pag. 174.*) Ergo, cùm Lutherus & Calvinus Matrimonii Sa-

ceramento bellum indixere, dogma contrarium in Ecclesia, tùm Latina, tùm Græca, erat receptissimum. Vel igitur certa est quam defendimus doctrina, vel universam turpiter in re gravissima errasse Ecclesiam dicendum est: atqui illud posterius vel suspicari grande esse nefas; ergo verum esse in nova lege Matrimonii Sacramentum sine ulla dubitatione credendum est.

ARG. I I. *Ex Augustino.*

Alios Patres, brevitatis causâ, prætermittimus. Matrimonii Sacramentum passim commendat S. Augustinus: *In Christianorum nuptiis, inquit, plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri.* (*Lib. de bono conjug. cap. 18. tom. 6. pag. 332.*) *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti.* (*Ibid. cap. 24.*) *In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* (*Lib. de fide & operib. cap. 7. tom. 6. pag. 170.*) Atqui Sacramenti nomen stricto sensu hic usurpat Augustinus, non verò latiori tantum, sive prout Matrimonium signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia; quo sensu de Matrimonio dixit Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* (*Ephes. 5. 32.*) Ibi enim S. Doctor christiano ritui quo Matrimonium consecratur, specialem quamdam Sacramenti rationem attribuit, quæ infidelium conjugii non conveniat; sicque alia ab aliis distinguit: atqui Matrimonio cuilibet humano id commune est, ut sit Sacramentum latius sumptum, eo nempe sensu quod intimam Christi cum Ecclesia conjunctionem significet; ergo, cum Augustinus Christianorum Matrimonium ab infidelium conjugii eo titulo discriminet, quod Sacramentum sibi adjunctum habeat, necesse est ut Sacramenti nomen stricto sensu in prædictis locis acceperit.

Dices 1.^o Si Matrimonium Sacramento propriè dicto consecraretur, virginitate perfectius foret: atqui id posterius falsum est; ergo & prius.

Resp. Neg. maj. Alicujus enim rei perfectio ex unica quadam ejus circumstantia non petitur, sed ex omnibus simul. Porro Matrimonium, licet Sacramento nobilitatum, plura habet quæ conjugalem conditionem minus perfectam efficiant, quàm virginitatis statum; variis scilicet curis & sollicitudinibus animum distrahit, quæ ad vacandum Deo minus expeditum faciunt hominem, quàm virginitas.

Dices 2.^o Sacramentum non opponitur Sacramento: atqui Matrimonii Sacramentum opponeretur alteri Sacramento, sacræ nimirum Ordinationi: ergo; &c.

Resp. Neg. min. A Matrimonio enim non eam ob causam arcentur sacris Ordinibus initiati, quòd Matrimonii & Ordinationis Sacramenta ita secum pugnent, ut simul confociari nequeant; sed quia ad castitatem perpetuò servandam jure ecclesiastico obstringuntur, qui sacros Ordines suscipere. Clericum enim Deo militantem non decet implicare se negotiis secularibus. (2. Tim. 2. 4.)

Quæres 1.^o an Matrimonium & Sacramentum ita sint unum & idem, ut alterum ab altero distinguere nequeat.

Resp. varias esse eà de re opiniones. 1.^o Affirmant non pauci, ut Thomas Sanchez, (Lib. 2. de Matrim. disput. 10. n. 6.) eà ratione ducti, quòd ex institutione Christi ratio Sacramenti ita fuerit contractui conjugali illigata, ut ab eo divelli & distrahi non possit. 2.^o Alii fatentur quidem vera esse posse, etiam apud fideles, Conjugia quæ Sacramenti rationem non habeant, si nempe christiano ritu non celebrentur; conrudent verò Matrimonium Sacramenti naturam induere, nec ab illo distinguere, quoties eo ritu perficitur quem Christus instituit, & adhibere

consuevit Ecclesia; Matrimonium enim, inquit, hoc modo celebratum, ad Sacramenti dignitatem Christus evexit. 3.^o Nonnulli existimant Matrimonium ita esse ex natura sua à Sacramento diversum, ut cum eo nunquam confundi debeat.

Quæres 2.^o quas rationes afferunt postremi illi Theologi.

Resp. Multas afferunt quas raptim exponemus.

1.^o Matrimonium, inquit, à jure canonico definitur: *Maris & feminae conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* (*Decretal. lib. 2. tit. 23. cap. 11. pag. 790.*) Atqui in ea definitione nihil est quod Sacramentum designet; Sacramentum enim, ut norunt omnes, est ritus sensibilis à Christo Domino institutus, & cui conferendæ gratiæ virtus illigata est; ergo, &c.

2.^o Christus Matrimonii naturam non immutavit, sed illud tantummodò revocavit ad primam ejus institutionem. Cùm in terris degeret, in usu erant apud Judæos polygamia & divortium; utrumque his verbis abrogavit: *Erunt duo in carne una. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Præterea Sacramentum instituit quod nuptiis sanctitatem conferret: *Matrimonium*, inquit Concilium Tridentinum, *in lege evangelica veteribus connubiis gratiâ præstat.* (*Sess. 24. in exposit. doctrinæ de Sacram. Matrim.*) Eadem igitur etiamnum est Matrimonii natura, quæ ante legem evangelicam erat; scilicet nihil aliud est quàm viri & mulieris conjunctio: atqui hæc conjunctio distinguitur à Sacramento ad consecrandas nuptias destinato; quemadmodum aliud est panis, & aliud ritus exterior quo benedicitur.

3.^o Pergunt iidem Theologi: Valida & rata sunt infidelium conjugia, & cùm Religionem Christianam amplectuntur, non iterantur eorum connubia. *Per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed dimittuntur peccata.* (*Lib. 4. Decretal.*)

tit. 20. cap. 9. pag. 1559.) *Ces deux Eglises ; (l'Eglise Grecque & l'Eglise Latine,) ait Collator Parisiensis, n'ont jamais cru que le Mariage des infidèles ne fût pas légitime, ni qu'il cessât d'être bon, quand ils se convertissoient. (Tom. 1. p. 30.)* Atqui profecto Matrimonium infidelium verum non esse novæ legis Sacramentum; ergo, &c.

4°. Valent hæreticorum conjugia, ita ut duo conjuges Calviniani, ejuratis suis erroribus, ad Ecclesiam revertentes, novum celebrare Matrimonium non cogantur. *Le Mariage des hérétiques, inquit Autor Collationum Parisiensium, aussi bien que leur Baptême, est très-bon. On peut autoriser ce sentiment par la discipline de l'Eglise, qui n'a jamais remarié les hérétiques, lorsqu'avant leur conversion ils avoient été mariés légitimement. (Tom. 1. pag. 36.)* Atqui nemo dixerit Calvinistarum conjugium esse novæ legis Sacramentum, siquidem Matrimonii Sacramentum à Christo institutum rejiciunt; ergo naturæ prorsus diversæ sunt Matrimonium & Sacramentum Matrimonii; nec alterum cum altero confundendum est; alterum enim sine altero nulli extitit.

5°. Ante Concilium Tridentinum frequentia erant clandestina conjugia. Dum verò ea prohibet Sancta Synodus, simul vera & valida declarat, quæ huc usque facta fuerant. *Dubitandum non est, inquit, clandestina Matrimonia, libera contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, & eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant. Sess. 24. de refor. Matrim. cap. 1.)* Porro hujusmodi connubia titulo Sacramenti novæ legis decorari non possunt; qui enim ea contraxere, ad Ecclesiam non convenerant, ut Sacerdotis benedictionem acciperent; ergo in ipsamet Ecclesia fuerunt conjugia absque Sacramento valida; ergo aliud est Matrimonium, & aliud Sacramentum Matrimonii.

6°. Denique innumeros allegant Gallix nostræ Catechismos, qui Sacramentum Matrimonii ab ipso Matrimonio apertè fecernunt. Huic interrogationi, quid est Matrimonium? sic respondet Catechismus Montis-Pessulani: *C'est une société légitime entre l'homme & la femme, que Dieu même a établie pour la multiplication du genre humain; en Matrimonium. Si verò nunc quæris quid sit Sacramentum Matrimonii, sic tibi respondit Catechismus Parisiensis: C'est un Sacrement qui donne la grâce pour sanctifier la société légitime de l'homme et de la femme.* Eidem interrogationi eodem modo respondent Catechismi Lectoracensis, (de Lectoure,) an. 1689; Blesensis an. 1728; Sueffionensis an. 1696; Ambianensis an. 1691; Remensis an. 1692; Vesuntinus an. 1698; Carnotensis an. 1699; Augustodunensis an. 1703; Sagienfis, (de Seez) an. 1731; Trecentis an. 1733; Lugdunensis an. 1767, & alii benè multi. Ex Catechismorum igitur doctrinâ constat, inquit, Sacramentum & Matrimonium res esse longè diversas: Sacramentum nuptiis sanctitatem confert, sed ipsum non est Matrimonium.

Quæres 3°. quid iis Theologis objiciatur, & quid respondeant.

Resp. Ipsi objicitur 1°. Scholasticorum aliter opinantium multitudo.

Respondent cum Cano: *Theologorum Scholasticorum, etiam multorum, testimonium non plus valet ad faciendam fidem, quàm ratio ipsorum; ... non enim numero hæc judicantur, sed pondere. (Lib. 8. de loc. Theolog. cap. 4.)*

Objicitur 2°. illud Patribus, Summis Pontificibus, & Conciliis esse frequentissimum, ut Matrimonium appellent Sacramentum.

Respondent hujus locutionis duplicem potissimum afferri posse rationem. 1°. Matrimonium à SS. Patribus sæpissimè Sacramentum vocatur eo sensu,

quo dicit Apostolus : *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo & in Ecclesia ; seu juxta textum græcum , in Christum & in Ecclesiam . (Ephes. 5. 32.)* Quia scilicet conjugium humanum est signum & symbolum intimæ Christi cum Ecclesia conjunctionis.

2°. Cùm Matrimonium & Sacramentum in Ecclesia simul jungantur , totum quoddam morale efficiunt , quod à parte nobiliori quæ sita est in Sacramento , denominari potest . Ubi verò Matrimonium dicitur Sacramentum , hæc appellatio non eo sensu accipienda est , quod conjugium ipsum fit Sacramentum . Ex jure enim tum civili , tum canonico , *Matrimonium consensus facit* : atqui consensus ille ante Sacerdotis benedictionem datur ; Matrimonium igitur prius existit quàm Sacramentum . Idcirco Ritualia Colonienſe , Argentoracense (*de Strasbourg* ,) & alia sic habent : *Matrimonium per vos contractum , ego tanquam Minister Dei benedico* . Ut tollatur omnis ambiguitas , quod Matrimonium facit , ab eo ritu distinguendum est , quo Christianum efficitur . Verum quidem est , inquiunt , conjugium , quatenus Christianum , ante Sacramentum non existere ; siquidem Christianum dici & esse non potest , nisi accesserit Sacerdotis benedictio ; Matrimonium verò in se & physicè spectatum prius est Sacramento : Sacerdos enim conjugium quod nondùm existit consecrare non potest .

Objicitur 3°. Si Matrimonium ipsum non est Sacramentum , quorsum passim in Catechismis , passim in Ritualibus dicitur , conjugium à Christo fuisse ad dignitatem Sacramenti evectum ?

Reponunt iis verbis id unum significari , nempe à Christo institutum fuisse Sacramentum quo nuptiæ consecrarentur . Catechismis enim familiare est dicere , Sacramentum Matrimonii à Christo esse constitutum , ut legitimam viri & mulieris conjunctionem *sanctificaret* . Si ergo Sacramenti no-

mine ipsum Matrimonium intelligi velis , hic erit Catechismorum & Ritualium sensus , nempe *Matrimonium Matrimonio sanctificari* ; quod certè ridiculum est . Quisquis Theologorum quorum sententiam exponimus rationes diligenter perpendit , eas minimè contemnendas esse fatebitur .

CAPUT II.

De materia & forma Sacramenti Matrimonii.

CUM in præſenti quæſtione nihil ab Ecclesia definitum habeamus , incredibile est quanta sit opinionum varietas , salvâ semper & integrâ hujus Sacramenti veritate . In materia & forma hujus Sacramenti statuenda , inquit Melchior Canus , *adèd sunt inconstantes & varii , adèd incerti & ambigui* (Scholastici Theologi) *ut ineptus futurus sit qui in tanta illorum varietate ac discrepantia , rem aliquam certam , constantem , exploratam conetur efficere . (De locis Theol. lib. 8. cap. 5.)*

Ex opinionibus penè innumeris , quæ circa rem adèd ancipitem propositæ sunt , duas tantùm exponemus quæ principem locum obtinent .

Prima quæ in scholis videtur aliis prævaluisse , eorum est qui materiam statuunt in legitimo contrahentium consensu , formam in benedictione Sacerdotis . Materia Sacramenti , inquiunt , est pars illius magis communis , quæ potest esse vel non esse Sacramentum , prout forma ipsi accesserit vel non accesserit : atqui mutuus legitimusque partium consensus , signo quodam exteriori declaratus , est Sacramenti Matrimonii pars magis communis , & quæ potest esse vel non esse Sacramentum . Si enim cum forma , sive benedictione Sacerdotis , conjuncta sit , ad Sacramenti dignitatem evehitur ;

si verò formâ destituatur, tunc nihil aliud erit quàm consensus five contractus civilis.

Hæc autem opinio nonnullis non parùm displicet. Mutuus, inquit, legitimusque contrahentium consensus est quidem Matrimonii causa efficiens, juxta illud juris, tum civilis, tum canonici, effectum: *Matrimonium consensus facit*; sed assignari non potest tanquam ipsius Sacramenti materia. Propterea si Matrimonii Sacramentum ab ipso Matrimonio prorsus distinctum sit, illius materia sita esse nequit in mutuo & legitimo partium consensu, five in contractu civili: atqui Sacramentum Matrimonii ab ipso Matrimonio prorsus distinguitur. Ad eam opinionem iis adducuntur rationibus quas suprà exposuimus.

Secunda opinio eorum est qui Matrimonium à Sacramento, five ab eo ritu exteriori distinctum volunt, quem ad consecrandas nuptias Christus instituit; ii verò Sacramenti hujus materiam in manûs impositione, & formam in benedictione Sacerdotis constituunt. Cum enim Sacerdos, inquit, sit illius Sacramenti Minister, nonne factius est materiam & formam quærere in ritu exteriori quem abhibet, quàm in actibus contrahentium? atqui in ritu exteriori quem usurpat Presbyter Sacramentum Matrimonii conferens, nihil præter manûs impositionem, & verba quibus nuptias consecrat, reperias quod materiæ & formæ locum teneat.

Præterea, inquit, hæc doctrina venerandæ Traditioni maximè congruit, quæ ubi de administrando Matrimonii Sacramento agitur, & manûs impositionem & benedictionem sacerdotalem frequens commemorat. *Cui manum imponet Presbyter, ait S. Clemens Alexandrinus, cui benedicet? non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis, ac per hoc alii capiti.* (*Lib. 3. Pædagogii, cap. 11. pag. 182. tom. 1. Edit. Oxon. Poteri. an. 1715. pag. 291. n. 5.*)

Innocentius I hæc habet: *Benedictio quæ per*

Sacerdotem super nubentes imponitur. (*Tom. 2. Concil. pag. 1251.*)

Siricius Papa: *Illâ benedictio, inquit, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* (*Tom. 2. Conc. pag. 1019.*)

Denique, pergunt iidem Theologi, hic exponendæ materiæ & formæ modus Ritualibus Libris omnino est accommodatus. Parisiensis ita jubet: *Extensâ manu, dicet (Sacerdos)... Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, ipse vos jungat, impleatque benedictionem in vobis, &c.* (*pag. 359.*) Atqui ibi occurrit 1^o. materia Sacramenti, nempe manûs impositio, *extensâ manu*; 1^o. forma, nempe Sacerdotis precatio. Eadem verba in multis aliis Ritualibus adhibentur, vel similia. Sunt enim qui præcipiunt ut, pronuntiatis his verbis: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c. Minister extollens manum dexteram*, nubentibus benedictionem impertiat; alii, ut Bituricensis, præscribunt ut Sacerdos, prolatis his verbis, *Ego vos in Matrimonium conjungo, signum crucis manu dexterâ super nubentes effingat, dicens: In nomine Patris, &c.* Porro hæc verba, *manum extendere, manum extollere, signum crucis dextrâ efficere suprà nubentes*, quid aliud sonant, quàm manûs impositionem?

Nonnulli quidem Rituales Libri de manu suprà conjuges extendendâ vel attollendâ mentionem expressam non faciunt, sed ritum illum præcipere censentur, dum jubent Presbyterum hæc verba proferre: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*; Sacerdos enim dum eas voces pronuntiat, *in nomine Patris, &c.* manum extollit, & suprà nubentes signum crucis dextrâ exprimit. Ultima hæc opinio, si defensorum numerus spectetur, aliis inferior est; si verò quibus nititur rationes ponderentur, alias vincere fortè videbitur.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

INTER Catholicos movetur hæc quæstio, nec spectat ad Lutheranos & Calvinistas qui, cum Matrimonii Sacramentum negent, nullum illius Ministrum agnoscunt. Duas autem in partes distrahuntur Scholastici Theologi; alii volunt non alios esse Sacramenti Ministros, quam ipsos contrahentes, sive illud quisque sibi, sive alter alteri administret; alii autem quibus suffragamur, docent hujus Sacramenti, sicut & ceterorum, esse solum Sacerdotem.

PROPOSITIO.

Solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Matrimonii Minister.

Probat^r 1^o. Ille solus est Sacramenti Matrimonii legitimus Minister, ad quem solum pertinet eam nubentibus dare benedictionem, quæ est Sacramento *essentialis*: atqui solius est Sacerdotis benedictionem nuptialem impertiri, eaque est Sacramento Matrimonii *essentialis*.

Et 1^o. quidem solus Sacerdos benedictionis nuptialis Minister est, ut innumeris constat monumentis, ex quibus pauca tantum seligimus. juxta S. Ambrosium, *Conjugium sacerdotali benedictione sanctificari oportet.* (Epist. 19. n. 7. tom. 2. p. 844.) Concilium Carthaginense an. 398, cui interfuit Augustinus, sic jubet: *Sponsus & sponsa benedicend sunt à Sacerdote ... qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius bene-*

ditionis in virginitate permaneant. (Can. 13.) Siricius Papa IV sæculo, *Illam inquit, benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur.* (Ubi supra) Epistola decretalis quæ Evaristo Papæ adscribitur, *affirmat hunc esse morem, ut uxor ... à Sacerdote benedicatur.* (Tom. 1. Concil. pag. 534.) Concilium Coloniense I an. 1536, docet in Matrimonio, *accedente sacerdotali precatione, conferri donum Spiritûs Sancti, quo vir diligit uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* (Tom. 14. Concil. pag. 541.)

Unde sic argumentari licet: Ille solus est benedictionis nuptialis Minister, cui soli tribuitur à Conciliis, Patribus & Summis Pontificibus: atqui benedictio nuptialis soli Sacerdoti vindicatur, &c. ergo 1^o. solus Sacerdos est benedictionis nuptialis Minister.

2^o. Hæc benedictio ritus est *essentialis*; benedictio enim quæ in administrando Matrimonii Sacramento constanter fuit observata; benedictio quæ conjugium sanctificari oportet; benedictio pro cuius reverentia conjuges ad certum tempus in virginitate permanere debent; benedictio quæ absque sacrilegio nullâ transgressione violari potest; hujusmodi, inquam, benedictio omnes ritus *essentialis* characteres habet: atqui talem esse nuptialem benedictionem constat ex testimoniis modò prolatis; quinimò Sacramentis aliis eam annumerat Concilium Lateranense IV: *Horribile est, inquit, quòd ... pro benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis, aliquid exigatur.* (Decretal. pag. 1609.) Ergo 2^o. benedictio conjugum ritus est Sacramento *essentialis*; aliundè verò solius est Sacerdotis eam impendere; solus igitur legitimus est Sacramenti Matrimonii Minister.

3^o Prob. 2^o. ex Conciliis. Eboracense an. 1466 sic definit: *Septem sunt gratia Sacramenta, quorum dispensatores sunt Ecclesia Prælati.* (Tom. 13.

Concil. pag. 1426.) In Enchiridio quod Synodi Colonienſis juſſu an. 1536 promulgatum eſt, hæc leguntur: *Quantò magis putandum eſt in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Chriſto funguntur, legitimos hujus Sacramenti (Matrimonii) Miniſtros eſſe!* Concilium Cameracenſe an. 1567, *Cùm conſtet, inquit, in Matrimonio habendam eſſe rationem, non ſolùm divinæ institutionis, ſed etiam Sacramenti & gratiæ quam in illo conſequentur fideles, admonendos eſſe duximus Parochos hujus Miniſtros, &c.* (Cap. 1. de Matrimonio.) In Actis Eccleſiæ Mediolanenſis dicitur, *Parochum ex officio adminiſtrare Sacramenta quinque, nempe Baptiſmum, Euchariftiam, Pœnitentiam, Matrimonium & Extremam Unctionem.* (part. 4. ſeç. 1. p. 409. Edit. Lugd. an. 1683.)

Unde colligitur iſtud argumentum: Ille ſolus eſt Sacramenti Matrimonii legitimus Miniſter, cui ſoli hunc titulum aſſerunt Concilia: atqui ſoli Sacerdoti, & maxime Parocho, hujus Sacramenti miniſterium vindicant Concilia; ergo, &c.

Prob. 3^o. Rationibus Theologicis. 1^o. Doctrina antiquior recentiori debet anteponi: atqui longè recentior eſt doctrina quæ contrahentes ipſos facit hujus Sacramenti Miniſtros; cùm ne unus quidem à Veteribus allegari poſſit, qui prioribus decem Eccleſiæ ſæculis ſententiam hanc admiferit.

Contrà verò quotquot de Matrimonii Sacramento diſſeruere, illius adminiſtrandi poteſtatem ſolis attribuant Sacerdotibus; ergo, &c.

2^o. Aliorum Sacramentorum ex lege ordinaria Miniſtri ſunt ſoli Sacerdotes, quia ſoli generatim ab Apoſtolo dicuntur myſteriorum divinorum diſpenſatores: *Sacramenta*, inquit S. Thomas, *in quibus gratia conferitur, diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet.* (Supplem. quæſt. 22. art. 2 in corp.) Atqui nulla ſat gravis eſt cauſa, propter quam unum Matrimonii Sacramentum à lege communi excipiat, ipſiusque adminiſtratio laicis tradatur,

Multas alias rationes legere eſt apud Drouin (Tom. 2. de re Sacramentaria.)

Quæ obijci ſolent difficultates prætermittimus, in iis enim tanquam certum ſupponitur, Matrimonium & Sacramentum unam eandemque rem eſſe, ita ut alterum ab altero non diſtinguatur: atqui illud ſaltem incertum eſt. Nonnulli quippè Theologi graviffimis freti rationibus quas ſuprà expoſuimus, docent Matrimonium & Sacramentum duo eſſe prorsùs diverſa. Prius enim, ut tradunt plerique Catechiſmi, nihil aliud eſt quàm legitima viri & mulieris conjunctio; poſterius verò eſt ritus, vel ſignum ſenſibile quo nuptiæ confeſcrantur. Ut autem nonnulla quæ ad praxim pertinent exponantur, variæ proponendæ ſunt quæſtiones.

Quæres igitur 1^o. quis Sacerdos ſit Sacramenti Matrimonii Miniſter.

Reſp. Miniſtrum illius Sacramenti eſſe Parochum, quibus in locis receptum eſt Concilium Tridentinum, vel probata diſciplina quam de conjugii clandestinis ſic præſcribit: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attemptabunt, eos ſancta Synodus ad contrahendum omninò inhabiles reddit, & ejuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit.* (Seſſ. 24. de reform. Matrim. c. 1.) Porro diſciplinam hanc apud nos Gallos receptam eſſe ex multis Regum noſtrorum Ediçtis conſtat. Parochus autem à quo confeſcrari debent nuptiæ, eſt Parochus domicilii alterutrius contrahentis.

Quæres 2^o. quis ſit Parochus vagorum qui fixum non habent domicilium.

Reſp. Parochum eorum qui incertas habent ſedes, v. g. juniorum opificum aut mendicorum, eſſe Parochum loci in quo contrahitur, modò

tamen celebrandi Matrimonii facultatem ab Ordinario, id est, Episcopo, acceperit: eâ verò non antè uti debet, quàm diligenti inquisitione constet eos nullo detineri impedimento, ut sic jubet concilium Tridentinum: *Multi sunt qui vagantur, ... & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relicta, aliam & plerumque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, Parochis præcipit ne illorum Matrimonii intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi retinuerint. (Sess. 24. de reform. Matr. cap. 7.* (In eo sita est hæc inquisitio, quòd à vagis Matrimonium contrahere meditantibus exigantur instrumenta quibus constet 1^o. de eorum Baptismo; 2^o. de patris et matris obitu; 3^o. de consensu ab iisdem vel dato, vel secundum leges postulato, si adhuc vivant; 4^o. de morte uxoris, si quam antè duxerint.

Quod spectat ad viros militares, vetat Ludovicus XIV Edicto anni 1683, ne quis Parochus absque Inspectoris generalis licentiâ scripto declaratâ, exercituum, ut aiunt, *Officiarios* Matrimonio jungat. Quamvis in hæc parte nihil quoad milites sanxerit Codex Militaris, graviter redargueretur Parochus qui eos absque Ductoris (*Capitaine*) consensu Matrimonio copularet; prout à legionum Tribunis (*Colonels*) didicisse testatur Collator Andegavensis. His peractis, duo præstat Episcopus: 1^o. per dispensationem eos à lege domicilii eximit; 2^o. permittit Parocho ad quem recurrerunt contrahentes, ut eos jungat.

Quæres 3^o. an possit Parochus inferiori Sacerdoti potestatem facere Sacramenti illius administrandi.

Resp. posse, ut constat tum ex concilii Tridentini verbis superiùs adductis; tum ex quoti-

dianâ consuetudine: quinetiam obtinuit usus, ut Parochorum Vicarii Sacerdotes alios ad conferendum Matrimonii Sacramentum delegent. Cùm autem illud sit contrâ regulam istam generalem: *delegatus non potest delegare*, ex præsumpto tacitoque Parochorum consensu id fieri necesse est. Ut tamen omnis scrupuli tollatur occasio, optandum est ut Parochi qui ordinarii sunt Sacramenti hujus Ministri, Vicariis facultatem concedant alios ipsorum in locum subrogandi Sacerdotes qui eorum, cùm opus erit, vicibus fungantur.

CAPUT IV.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

CUM Sacramentorum legis evangelicæ prorsus omnium eam esse vim & efficaciam ostenderit, ut homini benè comparato gratiam conferant, nullum potest esse dubium quin Matrimonii Sacramentum conferendæ gratiæ sit instrumentum. In quo autem sita sit hæc gratia, quæritur.

Annotandum verò, ut sæpè monuimus, gratiam sanctificantem, vel esse primam quæ scilicet hominem ex peccatore justum facit; vel secundam quæ nimirum hominis jam justî sanctitatem justitiamque auget ac perficit.

PROPOSITIO I.

Matrimonii Sacramentum non confert gratiam sanctificantem primam.

Probatur. Gratia sanctificans prima ea est quæ deletur peccatum mortale, & homo justus efficitur: atqui Sacramentum Matrimonii hujusmodi

gratiam non impertit, quia non est Sacramentum mortuorum, sed vivorum qui scilicet gratia justificante, in qua sita est animæ vita, jam sunt ornati. Purissimam enim Christi cum Ecclesia conjunctionem, quantum possunt, exprimere debent conjuges; divinum autem illud exemplar, ut par est, adumbrare non poterit ipsorum Matrimonium, nisi in statu justitiæ & sanctitatis celebretur; ergo, &c.

Quapropter qui de nuptiali fœdere cogitant, à Pastoribus sedulo sunt admonendi, 1^o. ut peccata sua diligenter & quam primùm confiteantur, neque ad ipsam penè conjugii diem differant, quæ nec edoceri nec probari satis possunt; 2^o. ut, acceptâ reconciliationis gratiâ, Sacramenti Matrimonii effectum non impediunt, conviviis, choreis, lascivisque cantilenis indulgendo; 3^o. ut instar junioris Tobix, Deo prius per caritatem juncti, ad altare ita accedant, ut cum eodem dicere ex animo possint: *Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* (*Tob. 8. 9.*)

PROPOSITIO II.

Matrimonii Sacramentum iis à quibus piè suscipitur, gratiam secundum confert quæ malis in nuptias per primi hominis peccatum invectis medeatur.

Probat. Sacramentum enim Matrimonii, cum sit Sacramentum vivorum, nonnisi gratiam secundam conferre debet, sive novam gratiæ sanctificantis accessionem quæ iis malis remedium afferat, quibus nuptias vitia vitiorum parentum flebile peccatum.

1^o. Enim, ut ait celeberrimus *Drouin*, quem hic sequimur ducem, ex Adami & Evæ peccato

nata est concupiscentia quæ nuptias deturpavit, & quæ fit ut conjuges re bonâ malè utantur, & per imperiosam libidinem extra moderatum Matrimonii usum rapiantur: atqui pessimo huic malo medetur gratia Sacramenti, per quam conjugibus virtus datur, conjugale officium castè & moderatè explendi, fidem conjugii inviolatè servandi, omnemque immunditiam fugiendi. Hinc Sacerdos nuptiis benedicens Deum precatur, *ut det sponsis temperantiam, ut corroboret illos, ut simul perfectam animæ & corporis custodiant castitatem.*

2^o. Ex duo primi parentes in Deum rebelles fuerunt, nuptias perturbavit discordia. Ex illa enim rebellionè contigit ut vir potestate suâ abutendo, uxorem famulæ loco habeat, uxorque vice suâ maritum contemnat, eique subijci recuset; hinc rixæ innumerabiles, & querelæ domesticæ natæ sunt: atqui huic malo occurrit Matrimonii Sacramentum, eam impertiendo caritatem quæ vir uxorem diligat, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & uxor viro ex amore subdita sit, ut Ecclesia subiecta est Christo. Hinc Sacerdos Deum sic orat: *Benedic, Domine, præsentiam tuâ invisibili istud servorum tuorum Matrimonium; da illis pacificam conversationem, caritatem mutuam; sit inter ipsos vera pax, concordia, tranquillitas quam impetus passionum turbare non possint.*

3^o. Graves ærumnæ, anxietates, sollicitudines Matrimonium comitantur, & infaustæ sunt primi peccati appendices, in cujus ultionem sic adversus Adamum pronuntiavit Deus: *In sudore vultus tui vesceris pane; & adversus mulierem: In dolore paries.* (*Genes. 3. v. 16. 19.*) Huc etiam pertinet hæc Apostoli sententia: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.* (*1. Cor. 7. 28.*) Atqui contra illas ærumnas præfens suppetit in Matrimonii Sacramento remedium, quo fit ut patienter tolerantur, & faciliùs sustineatur grave nuptiarum jugum, Idcirco Minister nuptias consecrans: *Effunde,*

inquit, *Domine, super illos bona in vitâ suâ, ut glorificent nomen sanctum tuum, ... & dies suos in felicitate transigant; descendant super illos benedictiones cælestes.*

4^o. Primorum parentum culpa, in eos etiam infantes qui ex legitimis nascuntur nuptiis, per generationem traducitur: atqui gratia Sacramenti primigeniæ huic labi remedium adhibet; efficit enim ut conjuges veræ Religionis cultores, pro liberis à se carnaliter genitis, spiritualem Baptismi regenerationem obtineant, eosque verbo & exemplo divinam legem edoceant, pièque instituant. Hinc Sacerdos, *Det vobis Deus, inquit, filios benedictionis & sanctitatis, ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducatur augmentum.*

Quòd si cujuscumque animus de iis Sacramenti effectibus dubitatio subeat, pergit *Drouin*, propterea quòd experimento penè quotidiano comperitum sit, plerisque in facie Ecclesiæ Matrimonio conjunctos, omnibus quæ recensuimus bonis carere, sæpèque infelicibus ac sceleratius ipsis gentibus vivere; discat ille non Sacramentum Matrimonii quòd sanctum est, sed ipsos conjuges accusandos esse, qui vel impiè ad illum accedunt, vel acceptam in eo suscipiendo gratiam suâ culpâ amiserunt. Si enim de sanctitate & gratia Sacramenti ideo dubitare fas est, quia multi, eo recepto, non sunt meliores, nullum erit Sacramentum de quo moveri non possit eadem difficultas, ne exceptis quidem Baptismate & Eucharistiâ, quæ licèt receperint mali Christiani, aliis interdum sunt vitiosiores; dicendum igitur Sacramentum Matrimonii, ut alia, gratiam quidem conferre, sed iis qui benè preparatum pectus afferunt; non debent igitur, si gratia desit, ipsa Sacramenta accusari, sed qui ea malè suscipiunt.



TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS qui ab homine exerceri solent, duplicis sunt generis, nempe *actus hominis & actus humanus*. *Actus hominis* dicitur quicquid fit, animo non advertente, & sine ullo rationis consilio; tales sunt dormientium & infantium actiones, & illæ etiam quæ à vigilantibus & adultis peraguntur ex affectûs cujusdam rationem occupantis impetu, aut citra mentis attentionem & voluntatis arbitrium. *Actus verò humanus* ille est qui fit ab homine dum humano modo agit; id est, cum animo advertente, voluntatisque consilio & deliberatione.

De priori actuum genere filebimus; cum enim rationis judicio & arbitrio non subjiciantur, nullâ bonitate vel malitiâ morali affici possunt. De solis itaque actibus humanis disturi sumus, eorumque principia & proprietates exposaturi.